



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv  
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

III. De Matrimonio Clandestino, vbi de denunciationibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

862. *Moral. Theologia Tract. VII. Sacra menta,*  
Validum planè erit, tamen si iustum causam non habeat, pa-  
rentibus inuitis, contrahendi, eorum consilium tenetur ex-  
quirere, non tamen sequi.

30. *Quid autem si que parentibus inuitis sit nupta?* Si filia  
minor vigintiquinque sit annis, Ciui liure exhaeredari à pa-  
tre post, Canonico minimè. Maior si nubat, tenetur parentis  
dotare.

31. *Potest ne consensus conditiones recipere?* Potest qui-  
dem, licet Matrimonium ipsum per se minimè recipere va-  
leat. Vnde generaliter contrahentium intentioni standum  
est, si de foro conscientiæ agatur. Si dubius animus sit appo-  
nentis conditionem, externi fori præsumptioni credendum,  
conditioneque reiecta, Matrimonium valere iucundum, In  
dubio denique pro vtroque foro, pro Matrimonio feratur  
iudicium.

---

### C A P V T I I I.

#### *De Matrimonio Clandestino. Vbi de denun- ciationibus.*

32. *M*atrimonium Clandestinum quid? Quod clam, sine  
furtim sine præscripta Ecclesiæ fit solemnitate.

33. *Quotuplex est?* Duplex; Primum, quod sine Parocho  
& testibus; secundum, quod absque denunciationibus con-  
trahitur. Vtrumque Clandestini poenis subiicitur; tam enim  
contrahentes, quam assistentes graibus à Tridentino sess. 14.  
cap. 5. flagellis percutiuntur.

34. *Num primum coniugium Clandestinum sit validum?* Ante Concilium Tridentinum Matrimonium sine Parocho  
& testibus validum erat, & nunc etiam est validum apud ter-  
ras, in quibus Tridentinum receptum non est. Vbi vero eius  
decreta recepta sunt, irritum est, tum personis redditis inha-  
bilibus ad contrahendum, tum irrito facto contractu, vnde  
etiam invalidum manet Sacramentum.

35. *Validum ne secundum Clandestinum coniugium?* Ma-  
trimonium absque denunciationibus contractum, validum  
quidem est; attamen Parochus assistens & ipsi contrahentes  
mortaliiter peccant, nisi Episcopus alterutrius contrahendis  
iusta ex causa dispensem.

36. *Tenetur ne Episcopus dispensare ne præcedant denuncia-  
tiones?*

tiones? Aliquando tenetur, v. gr. cùm timentur scandala, & malitiosa impedimenta. Aliquando non tenetur, sed gratiosa eos potest concessione donare.

37. *Quid si ante denunciationes Matrimonium celebretur?* Consummari non debet ante ipsas; ut appareat num aliquid dirimens impedimentum exsurget.

38. *Licet ne ante benedictiones sponsos de presenti consummare?* Licet absque mortali faltem culpa; ne fornicandi pericolo se contrahentes exponunt.

39. *Ad quidnam tenetur, qui impedimentum aliquod adesse non videt?* Qui vi denunciationum aliquod impedimentum noscit, et si occultum sit, secreto modo extra Sacramentalem Confessionem tenetur Superiori denunciare. *Quid ipsi contrahentes?* Ipsi etiam ab Ordinario de occulto interrogati impedimento veritatem tenentur profiteri.

---

C A P V T I V .

*De Sponsalibus.*

40. *Sponsarium exprime definitionem.* Sunt futurorum promissio nuptriarum. Hinc adulterium non esse concubitum cum alterius sponsa patet. At *Filiucius* docet circumstantiam ab sponsa esse confitendam; quia magna sponso irrogatur iniuria. §. 1.

41. *An promissio mutua sit necessaria?* Ita plane, quæ quidem externa debet esse, obligans suo in genere & mortaliter. Ad eam sufficiens deliberatio, & animus se obligandi requiritur. Verba communi intelligentiae accommodata esse debent. *Si dubia essent?* Intentioni contrahentium standum est in conscientiæ foro.

42. *Num verbis deficientibus possit aliunde expressio consensus, aut promissionis suppleri?* Subharratio annuli, vbi ea consuetudo vigeat, signum est sufficiens loco verborum. Præsentia etiam & taciturnitas ipsa filiorum, parentibus contrahentibus pro illis, satis est, modò ipsi faltem inservire consentiant.

43. *An facta sponsalia valida sint?* Nulla quidem sunt exceptu consensu. Si tamen alia vera illis subsequantur verba, valida erunt sponsalia. Porro fide contrahens debet verè consentire.

44. Num